



# Disputatio philosophica inauguralis de terrae-motu

<https://hdl.handle.net/1874/343317>

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**TERRÆ-MOTU,**

QUAM  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

**M. GERARDI de VRIES,**

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicorum Consensu, ac Subtilissima  
Facultatis PHILOSOPHICÆ Decreto,

Pro DOCTORATUS in PHILOSOPHIA GRADU, & ARTIUM  
LIBERALIUM MAGISTERIO, omnibusque prærogativis  
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

**RODOLPHUS LEUSDENUS, J. F. ULTRAJECT.**

Ad diem 29. Martii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, cœl. xcii.

*Nobilissimo, Gravissimo, Amplissimoque*

*V I R O*

**D. D. THEODORO**

**A**

**VELTHUYSEN,**

Toparchæ in **HEEMSTEDE, WILLESKOOP, KORT-HEESWYCK.**  
**&c.**

**A T Q U E**

*Illustribus ac Præpotentibus.*

Provinciæ Ultrajectinæ Ordinibus Adscripto, eorumque nomine Deputato Ordinario; Curiæ Aggerum ad Superiori Leccæ fluminis partem Assesso ri; Cognato suo plurimum venerando.

*Hanc Disputationem Inauguralem in  
perpetuæ observantia signum*

**D. D. D.**

**C. Q.**

**RODOLPHUS LEUSDENUS,**  
**A U C T O R.**

# DISPUTATIO PHILOSOPHICA

INAUGURALIS,

D E

## TERRÆ-MOTU.

THESIS I.



Uemadmodum confusionem corporum perfectissimus mundi ordo non patitur, ita in singulas distincta series specialem situm obtinent. Non enim ut se mutuo penetrent, extensio materiae sinit, & ut alius sit levium graviumque locus, alia calidorum frigidorumque sedes; non motuum varietas solum, sed & moventium influxus, postulat. Utpote quæ sua mole deorsum inclinant frigore condensata, ut se quaquaversum diffundant, sibimet ipsis sunt obstaculo; sed quia vicissitudine natura regitur, talibus circumaguntur, quæ & pro tenuitate partium suarum sparguntur facile, & immisso desuper calore, mutationes inducunt. Cum vero talis sit omnium conditio, istorum etiam, quæ se inferioribus tam liberaliter affundunt, ut suum vel situm teneant, vel egressa naturali loco vi magna redeant. Hinc facto corporum concursu, si quod retardari contigerit, tantus oritur conflictus, ut vires, si quas habet, explicare non desinat, donec violentam detentionem perfregerit. Exemplum dabit mirabilis, atque hac ex parte oriundus iste omnibus retrò saeculis stupendus ac formidabilis TERRÆ-MOTUS, quem hac dissertatiuncula explicandum suscepi.

A 2

II. A

## 4 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

## II.

A voce sumo initium, quæ Græcis *ῥῦ*, Hebræis *רַמָּה*, Latinis *Terra*; & iisdem *ῥύμος*, *מִזְבֵּחַ Motus*, & unica voce *ῥύγη*, *Σεισμός Terra-motus* dicitur. Hic pro Copernicano interdum sumitur, quo, sole immoto, terram moveri fingunt. Verum hoc commentum Scriptutæ adversum, non attingimus modò, sed de motu, quo pars aliqua terræ vel tremit, vel pulsatur, vel deprimitur, vel attollitur, nobis sermo erit. Verbo tamen, quid *Motus* & *Terra* sit, prænataſſe non abs re erit.

## III.

Terra est elementum siccum, grave & frigidum, motui quidem suppeditans materiam, sed ex se vim movendi non habens. Cum enim uno defixa loco calidis multumque acti-vis cingatur corporibus, pati magis, quam agere, apta nata est. Hanc ergo Motus afficit, qui pro diversa rerum vicissitudine multiplex est. Quid enim aliud est, quam mutatio corporis? Hoc autem varias mutationes subit; vel enim mutatur ratione quantitatis seu novam acquirendo, seu partem amittendo; & hæc est Diminutio & Accretio; vel mutatur ratione qualitatis, aliam subeundo, habitamve perdendo, & hæc est Alteratio; vel mutatur ratione modi, novam figuram, situm, respectum, &c. acquirendo. Et hic iterum totidem occurruunt mutationes, quæ universam penè Physis pervaſantur. Nam motus inter affectiones rerum naturalium præcipuus, seriem generationum dirigit, generataque perficit; ut vel quæ non sunt per illum existant; vel quæ sunt, majorem perfectionem acquirant; ut seu acquisitam possideant, seu possessam aliis communicent; ut in stellis, viventibus, & inanimatis, compertum est. Cum vero tantam motuum amplitudinem dissertationis pagella refugiat, unum è cæteris, Terræ-motum, non tam perfectoris meritò quam secretioris naturæ causâ explicandum suscep-ti. Etsi enim suo vigore non caret, quem tam multi miri-  
que

## INAUGURALIS.

que effectus oculis demonstrant. Hinc forte quod, qualisve sit, scient plurimi; sed quid sit, pauci intelligunt.

### I V.

Hæc igitur sit ejus definitio. Terræ-motus est agitatio & concussio partium terræ, orta ex conflictu & impulsu spirituum, cavernis terræ inclusorum, & ex obstructis ejus meatibus vi erumpere contendentium. Definitionis hujus veritas patebit clarius, si Terræ-motus causas & effectus tradidero.

### V.

Varii varias Terræ-motus effinxerunt causas. Sunt qui aquam causam esse dixerunt, cum terræ cavitates aqua repletæ sunt, & majorem copiam recipere non sunt idoneæ; multæ tamen aquæ pluviales decidunt, quæ dum aquis istis vim inferunt, fortiter repelluntur, & terræ tremorem inducunt. Sed perperam: aquæ enim tanta vis adscribi nequit, quanta per Terræ-motum producitur; & ipsa sensim ac successivè partes terræ permeans, cum fluida sit substantia, penetraret potius, quam terram concuteret: utpote meatibus corporum se facile quidem insinuat; ideoque contrariis multum resistit, sed gravitate & frigore præpedita minus violenter agit. Qui igitur Regiones & montes evertet? Qui alios in locum substituet? vel si omnino possit, quid ni fortissimus maris fluxus in terram impingens eam continuò pulset? Quid ni creberimi imbræ tam formidabilem nobis tremorem afferrant, quem adeò metuimus, aquas & pluvias non raro expetentes? Hæc ergo cum experientiæ repugnant, concludimus, aquam Terræ-motus causam esse non posse. Nec obstat in locis maxime aquosis Terræ-motus observari, cum poros simul cum aqua ingrediantur multi spiritus ignei, qui visceribus terræ contenti, non facile dissipari possint; adduntur quoque multi spiritus ab ignibus subterraneis; accedit etiam sol, qui dum sua agitatione poros & mæandros terræ aperit, multos halitus extrahit; & quamvis plurimos

A 3

elevet,

## 6 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

elevet, multi tamen graviores manent, & egredi, propter  
meatus amfractuosos impediuntur.

### V I.

Placuit aliis, terram madidam exsiccari, ac à ruptis verti-  
cibus concuti: unde Lucretius, lib. vi.

*Quippe cadunt toti montes, magnoque repente*

*Concussu late differunt inde tremores.*

Hanc quoque sententiam non esse firmam satis, vel ipsum probat, quod exsiccatio solis calore plerumque fiat; at so-  
lem rarefactione sua violentos motus disspellere potius, quam excitare novimus. Si vero venti terram arefaciunt, ejus qui-  
dem superficiem quodammodo scindent; sed tantum continuo tremorem sequi, reclamat experientia. Videmus sanè,  
ubi Terræ-motus accidit non majorem esse siccitatem & hu-  
morem quam pluribus aliis in locis, quæ nullam concussionem  
sentiunt. Ipsa si effecta attendimus, quomodo per Terræ-mo-  
tum tollantur montes, eleventur aggeres, eradicentur arbo-  
res, evertantur domus, patebit clarissimè, principium quod-  
dam visceribus terræ inclusum esse, quod terram concutientem  
miram prodigia efficit. Hoc igitur, relictis Auctorum dis-  
sidiis, in terræ visceribus scrutabimur.

### V II.

Et quidem, si de causa efficiente agitur, huc tria potissi-  
mum spectare experior. Nimirum exhalationem copiosam,  
ignes, ac ventos, concavitatibus terræ inclusos. Sufficeret  
forsitan, si uno nomine ignem totius rei causam dicerem.  
Sive enim exhalationes, sive ventos, qui nihil aliud quam  
exhalationum motus sunt, spectare lubet, quid ipsos tam  
impetuose movet, & ad tam violentos effectus impellit,  
quam vel ignis adjacens, vel calor exhalationi impressus? Sed  
quia singula ad Terræ-motum concurrunt, sigillatum addu-  
cere volui. Cum igitur, virtute solis, terræ medullas pene-  
trante, multa ibidem rarefieri; & sic abstractis tenuioribus  
particulis exhalationes formari possint, mirus saepè conflictus  
oritur; dum assurgentes solis ductum sequi conantur; sed  
vel

## I N A U G U R A L I S . 7

vel obſiſtente frigore , vel terræ crassitie intus remanere co-  
guntur. Si enim vel ventis terræ meatus introeuntibus mo-  
veantur acriter ; vel ignibus ſubterraneis magis magisque rare-  
factæ & calefactæ vim ſuam auxerint ; vel etiam collectæ &  
compressæ , cum raræ ſint & calidæ , ad locum ſuperiorem  
naturali impetu tendant , aditum quærant : ſi terra undique  
clauſa invenire nequeant , repercuſſe hinc inde diſcurrent ,  
magna violentia terram moventes , & juxta majorēm & mi-  
norem copiam , calorem , & vim magis minusve concutien-  
tes. Nec mirum videri debet tanto impetu exhalationes ad  
debitum ſibi locum tendere , cum minimus ignis ob ean-  
dem cauſam montes ſubvertere poſſit.

### V I I I.

Calor ergo ſolis aperiens poros , ut aér , venti multique  
ſpiritus poſſint ingredi , & penetrans interiora terræ , igniſ-  
que ſubterraneus , qui multas cavernas aperit ; unde materia  
combustibilis ut ſulphurea , tum & nitroſa egreditur ; ſicque  
illa accenſa vehementi ſua agitatione ſpiritus ; imo craditas ,  
calidas & fumofas multas prodiuit exhalationes. Haec & iſti  
terræ viſceribus accenſi & concluſi , à corpore forte frigido  
comprimumuntur , ac egredi tam cito non valentes : quia ſpiri-  
tus ſe paulatim per amfractuosos poros cavitatibus terræ inſi-  
nuarunt ; vel quia pori terræ multis pluviis , vel alio modo  
clauſi & obſtructi ſunt ; & ita compressi (quo enim quid ar-  
etius comprimitur , eo majorem vim acquirit , experientia  
hoc docente in instrumentis bellicis) ob calorem fortiter agi-  
tantur , quaquaversum luctantur , retroferuntur & rareſiunt :  
ſicque anguſtiae loci impatientes , & exitu fruſtra quæſito ,  
in carceris ſui parietes continuo impingendo , quod antea vi  
diſunita nequiebant , unita nunc diuellunt & diſcutiunt.

### I X.

Hanc eſſe legitimam hujus Tragædiæ cauſam , conſiſtmat  
horribilis ille ſonus & terribilis mugitus , quem ſimul cum  
Terræ-motu & ante iſum obſervamus. Omnis enim ſonus  
ex aéri collisione & ſpiritus intus incluſi repercuſſu oritur.

Sonus

### 3 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

Sonus hic antecedit, quia constat ex subtilioribus partibus, quæ facilius & citius è poris exeunt; sed quia sunt paucissimæ, terram mouère non valent. Sonus autem est varius pro diversitate materiæ, locorum & cavitatum quas transit: hæc vero (loca, inquam, & cavitates) quæ sit tremoris prædicti causa, non obscurè produnt. Cum enim in cavernosis spongiosisque amfractibus plurimi colligantur spiritus, in speluncis quoque halitus non trahi tantum sed & detineri, coacervari, moveri, comprimi, elevari & repercuti possunt; hinc ibidem terram plerumque concuti, testatur experientia. Non omittendum tamen loca, ubi viget ignis subterraneus, hoc malo quam maximè affici; ut constat in Regionibus, vesuvio ac Etnæ, montibus ignivomis, adjacentibus. Sed hujus ratio jam supra tradita est.

#### X.

Sed nec tempora præterire licet, quæ Terræ-motum ut certa lege mensurent, sic causam palam edocent. Nam mane & vesperi plures observamus Terræ-motus, cur nisi quod mane sol calidus quidem, sed paulo debilior spiritus & exhalationes non dissipet; vesperi, frigus eas comprimat & condenset; medio autem die æstu fervente halitus dissolvantur? Quod Plinius inter cæteros quoque observavit lib. 2. 80. cum ait: *Maximi motus existunt matutini vespertinique.* Imo; si fides Scriptoribus est adhibenda, plures annotant concussions autumno & vere quam aliis temporibus; certo indicio, spiritus, exhalationes hujus motus & solem quoque mediatam saltem causam esse. Si enim ignis subterraneus solus hunc efficeret, plures hyeme contingerent; quia tunc pori terræ sunt magis clausi & obstructi. Ista vero tempora, quia tenui sole fruuntur, exhalationes spiritusque habent, qui nec frigore impediri nec solis calore elevari; & ita circa terram harentes, facile in ejus cavitates relabi, vel ibidem formari, & ignium subterraneorum halitibus permisceri possunt. Nec obstat ventum una cum Terræ-motu flare, cum ipsum vel vehemens aëris agitatio tremorem dictum sequens, vel hali-

halituum repentina excusio , vel ipsa ventorum subterraneorum eruptio , causet. Ut enim prolabentes terræ meatus ingredi possunt , sic terra aperta , quidni pluribus aucti halitibus exeat ? Et sicut terra marique flare ventos novimus , quid ni infra terram stridere posse credendum sit ? Non deest fane actuum principium , sol terræ viscera penetrans calore particulas rarefacit , ignis subterraneus easdem elevat , imo & movet ; vel si frigus fuerit , & ipsum exhalationes excutiendo ventis inserviet. Sed licet frigus detinendis spiritibus ac halitibus plurimum proficit , iisdem tamen sub terra movendis & impellendis ( eò quod impulsus sit vehementissimus ) calorem conducere manifestum est. Sic ergo moti spiritus vel exhalationes Terræ-motum producunt.

## X I.

Nec ullius est momenti , quod quis dicat , inter agens & patiens quandam proportionem esse debere ; & nullam videri esse inter spiritus tenuitatem & terræ molem. Verum dico , quod proportionem inter agens & patiens non metiamur magnitudine molis , sed quantitate virtutis. Spiritus sunt quidem mole parvi , sed virtute magni. Non ignotum est quanta vi in vino laborante , spiritus exitum querentes , vas perfringant ac dissolvant ; optimè omnium appetet in Jove fulminante ( auctore Francisco Georgio Senensi , vel ut alii malunt , Petro Navarro Cantabro . ) Novimus enim quanta vi pulvis pyri ex instrumentis bellicis prorumpit , maximas arces & turres disjicit , ac metallicos montes dissipat : quia constat ex sale nitri , sulphure & carbonibus. Carbones admiscentur , ut magna vis sulphurea & nitrofa simul accendantur , quippe vis unita fortior , accensa dilatetur , & majus spatium requirat ; quod cum querit proxima corpora disjicit , expellit , horrendos illos & terribiles , quos novimus , effectus producit. Eodem ferè modo accidit in nostra Tragædia , ex qua artifices illam artem didicisse videntur. Ibi enim , ut particulæ nitrofæ & sulphureæ justo numero accendantur , terra vel particulæ lapideæ vel aliquæ ejusmodi vice carbo-

## 10 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

num infervire possunt. Ne vero quis dubitet particulas nitro-  
fas & sulphureas in terra inveniri, attendat tantum ad fontium  
aquas, quas, pro diversitate locorum quæ transeunt, nitrosas,  
sulphureas, vel alio sapore imbutas, clarissimè inveniet. Imo  
si diligenti animo Scriptores perlegimus, passim mentionem  
illarum particularum fieri animadvertemus. Ipsi enim fossores  
describunt nobis, quod sulphur sit coloris subcinerei, & in-  
tus sublutei, saporis pinguis & injucundi. Dicunt quoque  
aliquando fuisse, qui vitam cum morte mutarunt propter ha-  
litus fætidos & pestilentes; hocque facile propter calorem &  
ficcitatem accenditur. Quia vero hæ particulæ angustiæ loci  
inclusæ, exitum querunt, continuo atterendo particulæ  
igneæ eliciuntur, & tandem accenduntur; accensæ vero tam  
mirum ac formidandum terræ tremorem efficiunt.

## X I I.

Ordo nunc postulat ut dicamus de effectibus hujus Tragæ-  
diæ, utpote quæ tam horribiles sunt, ut, cum cæteris tempesta-  
tibus quodammodo occurri possit, hæ præcaveri nulla industria  
valeant. Nam adversus fulmina & tonitrua sunt domus subter-  
raneæ, adversus hostem castella, adversus aquas portus, adver-  
sus alias tempestates alia remedia. Hæc vero inevitabilis huma-  
manum genus attonitum reddit, & intrepidis quibusvis terro-  
rem incutit: nam modò terras continentes separat, alia in  
loca vehit, domos, arces, urbes, totasque Regiones devo-  
rat; &, ut nec ullum supersit vestigium, pro copia vel va-  
riò spirituum motu, violenter evertit. Nam sicut magna vi  
conatur erumpere, sic terram, quæ obstaculo ipsis est vehe-  
menter elevant, & disjunctis terræ visceribus radices ejiciunt,  
fundamenta dissipant, structuras diruunt. Si vero halitus  
minus calidos esse contigerit, ut magna violentia agere non  
sint idoneæ, sique ad latus elevate terræ egrediantur, eo  
quidem non progredientur, ut cuncta subvertant. Sed quia  
vel extrinsecus vel aliquo saltem impressò calore ac motu  
agitantur, terram elevabunt, & montem constituent. Si  
vero per rimam halitus exant, vel ignis subterraneus fun-  
damen-

## INAUGURALIS. II

damenta corrada , tunc rursus decidet mons , & constituet vallem ; ita ut mirari desinamus , si modo montem , modo vallem observamus . Ibique sœpissimè fontes reperiuntur , quia spiritus , qui terræ illas mutationes inducunt , meatus aqueos aperiunt , & aquam effundunt ; cum vero aqua transiens per canales æstuantes incalescit , & mox calidi fient , mox frigidi ob contrariam rationem .

## XIII.

Annotavimus quoque , quod motus iste terras continentes separat , & in alia loca transferat : uti Plinius 2. 83. memorat : quod duo montes in agro Mutinensi inter se concurrerint , crepitus maximo assultantes : & recedentes inter eos flamma & fulmus in calum exibat . Causa mutationis loci potest esse , quando spiritus non sunt satis multi & fortes , ita ut molem in altum ejaculari valeant ; elevant tamen , & exitum per latera quærentes , impellunt , & in aliud locum vehunt ; concursus causa , cum duo contrarii venti , sibi mutuo obviantes , quicquid interjectum est , secum rapiunt ; incensionis vero , quia violento tali motu & alterno pulsu , pori aperiuntur , & ignis particulae latitantes exeunt accendunturque , quo modo integras sœpe silvas accensas fuisse , novimus .

## XIV.

Nec prætereundum puto horrendum illud auditu , & animo quantumvis intrepido formidandum spectaculum , quod Athanasius Kircherus inter cætera narrat de annihilatione S. Euphemiae his verbis . „ Cum itaque ad Lopicum , ex vehementi terræ subsultatione , veluti exanimes in terra prostrati , tandem subsidente naturæ paroxismo , oculis in circumiacentia loca conjectis , ingenti nebula , memoratum oppidum circumdate vidissimus , res sane , post meridiem hora tertia præsertim cælo sereno , mira & insolita nobis videbatur , dissipata vero paulatim nebula oppidum quæsivimus , sed non invenimus , mirum dictu , lacu putridissimo in ejus locum enato . Quæsivimus homines , qui de insolito rei eventu , nonnihil certi nobis enarrare pos-

## 12 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

„ sent, sed formidabilis casus tantæque stragis nuncium non  
„ reperimus. Unde aliter, quam quia spiritus intus latentes  
exitum quæsiverunt, & ita egredientes terram aperuerunt;  
& hæc concussa & aperta, oppidum illud profundis & maxi-  
mis absorpsit faucibus.

## X V.

Nec inanimatis solum, sed animantibus etiam motus iste  
nocivus est: nam omisso concussionis impetu, qui omnia  
subvertens, viventia simul sternit, malignos quoque inducit  
morbos. Cum enim spiritus sub terra corrupti, & quovis  
odore fœditieque imbuti, egredientes aërem inficiant, her-  
bas fædent, aquas conspurcent, ut virulentam tabem con-  
trahant, pereantque cum brutis homines, necessum est. Vi-  
tam enim puritate aëris pascimus, sanitatem aquarum mun-  
ditie colimus, alimenta herbarum fructuumque ubertate ac-  
cipimus. His ergo, per Terræ-motum spiritusve egressos,  
vel evulsis, vel fæda contagione infectis, quid preter vi-  
ventium ruinam exspectari potest; quemadmodum narrat  
Seneca, uno Terræ-motu gregem sexcentarum ovium ex-  
animatum fuisse.

## X V I.

Cum igitur varii sint motus prædicti effectus, variae quo-  
que annumerantur species, quas non incommodè ad duo  
summa capita reducimus, nempe tremorem & pulsus. Tre-  
mor est, qui terram reddit tremulam, instar navis, in mari  
versus latera titubantis, & mox in hanc, mox in illam par-  
tem inclinat & movet: unde licet non ita perniciosus æsti-  
metur quam pulsus, castellis tamen, turribus, ædificiis eo-  
rumque habitatoribus minitur exitium. Nam tali tremore  
fundamenta abraduntur, & ædificia corruunt, quem motum  
plerumque in locis planis ob minorem ignem subterraneum  
experimur. Pulsus vero est, quo terra nunc insurgit, nunc  
corruit, deorsum sursumque jactatur, ob vehementiores &  
copiosiores spiritus igneos, terræ cavitatibus inclusos: pro-  
pterea hunc plerumque in locis reperimus montosis: unde  
etiam Virgilius

*In soli-*

*Insolitis tremuerunt motibus Alpes.*

Uterque hic motus vel est interruptus, vel continuus. Continuus, cum terra quoad illam partem, qua impellitur, continuo movetur, donec tota exierit exhalatio. Interruptus vero, cum commotio terræ aliquamdiu cessat, & non nullis horis vel diebus elapsis, revertitur: quia halitus, propter clausos mæandros, non uno momento alios accendere, & singuli simul egredi nequeunt. Variant ergo Terræ-motus pro multitudine spirituum, varietate locorum, porositate & firmitate terræ; hi magis, illi minus durabunt.

## X V I I.

Ne vero omnes mundi Regiones huic malo obnoxias credamus, addamus paucis, quæ potissimum a Terræ-motu immunes sint. Nam quæ terra multos habet satisque laxos & apertos poros, vix Terræ-motum sentiet; eò quod spiritus satis liberè explicari, dissipari, & exhalare possint. Nec illa, quæ satis humida & fluviis plena est, dummodo aqua terram non ambiat solum, sed & per rivulos occupet. Tum enim vis spirituum & exhalationum supprimitur eo quod aqua penetrans frigidum reddat halitum, & pondere suo agitationem & rarefactionem impediat. Unde etiam in septentrionalibus provinciis ob eandem causam Terræ-motus vix locum habet. Et in regionibus calidissimis idcirco rarus est, quod calor intensus exhalationes non extrahat solum, sed & repente absūmat.

## X V I I I.

Cum vero oppositorum eadem sit ratio, videamus ubi Terræ-motus plerumque vigeat, scilicet in regione maritima fluctibus maris agitata; intellige, si sinus terræ interiores non penetret: quia tunc exhalationi suscitatae à sole hac maris agitatione & frigore aquarum præpeditur exitus. Unde in insulis, quarum ambitus mari cingitur, Terræ-motus persæpe accidit. Sed quæ Regio specubus & cavernis subterraneis abundat, huic malo potissimum obnoxia est. Ad has enim confluunt exhalationes & spiritus,

## 14 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

qui demum uniti, & in maximam copiam coacervati, terram concutiunt: nam si solida terra sit, congregari non poterunt; at si foraminosa sit, coibunt facile. Unde loca montosa Terræ-motibus pulsantur saepius; eo quod antris & cavernis abundant. Ad hæc tamen necessum est, ut terra sit pinguis, & bene cohærens: quia si valde porosa sit, exhalatio paulatim emanat; & ut est tenuioris substantiæ per poros successivè erumpit; & hæc est ratio, cur in locis arenosis Terræ-motus vix eveniant.

## X I X.

Ut vero tela prævisa minus feriant, quædam Terræ-motus data sunt indicia. Primum est, cum aqua puteorum turbatur, vel ebullit. Hoc enim procedit ex halitu calido visceribus terræ inclusio, qui hinc inde discurrens, antequam terram concutiat, per putei poros quodammodo spirat; vel viciniores terræ partes calefaciens his mediatis aquas puteales alterat, turbat, ebullire facit, & interdum sulphureas reddit. Hæc ferè causa est, quare Phericidem Pythagoræ Doctorem, cum aquam è puteo hauisset, Terræ-motum prædictissime legimus apud Plinium 2. 80. Alterum est Terræ-motus signum, si media æstate repentinum sit frigus: hoc enim impedit ne magna exhalationum copia, calore præcedente facta, è terræ visceribus erumpat, quæ dein Terræmotum producit. Hæc aliaque afferti possunt, quæ ex eventu quidem signa Terræ-motus fuisse colligimus; sed quia plures concurrunt causæ, infallibilia non sunt.

## X X.

Dum vero ad finem pergimus, ne absterreamur incommodis, ut Terræ-motum, tam nociva descriptum facie, tantum in malum esse ordinatum credamus: nam si vel sola halituum spirituumque eruptio adesset, non mediocre nobis Terræ ac mundo bonum accresceret. Nam quia exhalationes istæ, longè latèque serpentes, tabem sub Terra virulentam contrahant, terram sane & aquas circum-qua-

quaque inficerent, nisi impetu violento exirent. Præstat ergo modicæ terræ concussio, quam magni spatiū elemorumque corruptio. Nobis sane, ut aeris conductit salubritas, sic Terræ puritas, &c à nocivis qualitatibus immunitas prorsus necessaria est; hanc vero per Terræ-motum causari jam dictum est. Et quid mundi decor magis exigit, quam ut suo quæque loco resideant, vel si motuum causa sit turbata, naturale centrum repeatant? Spiritus ergo, ignes & halitus sub Terra conclusi, ut suo dein influxu rerum universalitatem beent, vincula disrumpant, exitum querant, altum confugiant necessum est. Si vero damna ipsa altiori indagine scrutemur, ne vel frustra vel in malum ordinata finem esse credamus: non enim patet utilitas, si nulla mundo inesset pernicies. Bonum ex oppositione mali cognoscitur, & si cuncta forent æqualia, nullum esset excellentiæ pretium, nullus pretii decor, nulla decoris præstantia. Ut vero subordinationem congruam non bonorum exhibito tantum, sed & malorum comminatio juvat, sic patet clarissimè non iis solum, quæ commodando placent, sed his etiam quæ nocendo terrent, mundi ordinem subsistere. Ordine ornatur universitas; ornatua Auctorem naturæ respicit, cuius celebrantes potentiam in tam miris magnisque effectibus, prædicantes sapientiam in tam decenti cultoque rerum ordine Finem Ultimum dissertationi nostræ imponimus.



## A N N E X A.

I.

*Philosophia, quoniam docet cognoscere cognoscenda, & agere agenda, jure merito, omnium aliarum facultatum (Theologia excepta) præstantissima dici meretur.*

II.

*Non male definitur quod sit cognitio rerum qualiumcunque ex lumine naturali hausta.*

III.

*Inde nunquam, qui de ipso dubitat, ad cognitionem veri pervenire datur.*

IV.

*Et rectè ipsa dispescitur in Theoreticam & Practicam.*

V.

*Logica est instrumentum utilissimum, in cognitione rerum, nostrum dirigendi intellectum.*

Me-

V I.

*Metaphysica optimè vocatur prima Philosophia;  
quia agit de veritatibus primò primis, in aliis  
scientiis supponendis.*

V II.

*Et pro objecto habet ens reale ac positivum.*

V III.

*Etiam principia immediata ac immutabilia.*

I X.

*Primum meritò censendum est, impossibile est idem  
simul esse & non esse.*

X.

*Atheos speculativeros dari neg.*

X I.

*Verum si darentur, existentiæ divinæ probatio ab  
idea contra eos esset invalida.*

X II.

*Sed rectè ab effectu ad causam.*

X III.

*Spiritus essentia non consistit in cogitatione.*

X IV.

*An voluntas appetat malum sub ratione & notio-  
ne mali, & aversetur bonum sub ratione &  
notione boni? Neg.*

X V.

*Rectè Physics objectum statuitur corpus natu-  
rale.*

C

XVI. Cui

X V I.

*Cui competit locus.*

X V I I.

*Estque nihil aliud quam spatium corpore repletum.*

X V I I I.

*Accidens non potest migrare de subjecto in subiectum.*

X I X.

*Unde colligendum eandem numero motus quantitatem non esse, quæ fuit ab initio.*

X X.

*Lumen nihil aliud est quam propulsio particularum ignearum ad lineam rectam.*

X X I.

*Mundus est finitus.*

X X I I.

*Et per consequens plures dari non repugnat.*

X X I I I.

*Unde fluunt spatia imaginaria.*

X X I V.

*Duae turres ad perpendiculum erectæ, fastigio tamen à se invicem plus distant quam basi.*

X X V.

*Astrologiam vanam ac incertam,*

X X V I.

*Astronomiam vero jucundissimam & utilissimam  
judicamus.*

XXVII. Stet.

X X V I I.

*Stella polaris motu primo & secundo gaudet.*

X X V I I I.

*Galaxia est multitudo parvarum stellularum.*

X X I X.

*Actio humana est quæ oritur ex deliberatione, id  
est, intellectu & voluntate.*

X X X.

*Hinc, quid de actionibus puerorum & amentium  
dicendum sit, satis patescit.*

X X X I.

*Legem fundamentalem esse, Deum esse colendum  
tanquam Regem generis humani:*

X X X I I.

*Indeque legem de non lædendo fluere Aff.*

X X X I I I.

*Aliquis committere adulterium cum propria uxore:*

X X X I V.

*Et iterum rem habere cum alterius uxore citra  
peccatum potest.*

X X X V.

*Qui alium in somno interficerit, omnino à culpa  
liberari potest.*

X X X V I.

*Salus Reipublicæ suprema lex est.*

X X X V I I.

*Illa, quæ maximè ingenio populi est accommodata,  
est optima regiminis forma.*

X X X V I I I.

*Multæ Religiones, si fieri possit, non sunt tolerandæ.*

X X X I X.

*Absque nulla tamen Respublica consistere nequit.*

X L.

*Hinc Athei non sunt tolerandi.*

X L I.

*Num tortura sit licita meritò quis dubitet.*

X L I I.

*Præstat Imperatorem belli esse potius bonum ducem  
quam bonum virum.*

F I N I S.

